



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 11. De fame & siti ad tex. com 29.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

COMMENTARIUS XXIX.

Altera ratio, qua eadem conclusio (omnia quae habent sensum, appetitum item habere) probari potest, nunc adfertur. Tameñ, Auerroës iudicauerit eam in superiori textu, fuisse inductione probatam nunc ratione confirmari.

Ratio porro ita deducitur. Animalia omnia sensum habent alimenti: sed omnis sensus alimenti est cum appetitu coniunctus: igitur animalia, omnia, quae sensum habent, habent quoque appetitum. Propositionem eo argumento ostendit esse veram, quod animalia omnia tactus habent sensum, tractulq; sit alimenti sensus. Etenim alimentum omne in quadam temperatione consistit siccis & humidis, calidis, & frigidis: nimirum quoniam ut est in textu 30. posterioris libri de ortu & interitu, istidem nutritur, quibus constat. Et rursum nutritione oportet consumptam substantiam restaurari. Quare ut elementis & earum qualitatibus temperatis constat, sicco inquam & humido, calido, & frigido: sic illis quoque temperatis nutritivos & substantiam necessesse est. (Siccis enim dixit & humidis, calidis & frigidis; non siccitate & humore, calore & frigore; quia non qualitatibus nutritur, sed substantia qualitatibus illis praedita.) Atqui siccus & humidus, calidus & frigidus qualitates tactiles, corporatq; illis affecta tactilia sunt, atque sensu tactus percipiuntur: alimentum igitur omnè est corpus tactile, tactusque alimenti sensus.

Quod nequaquam intelligendum est de tactu, ut tactus est, sed quatenus guttatum quoque comprehendit. Quomodo etiam in superioribus, dum textus 20. interpretationem facerem, Aristotelem cum Simplicio adnotavi nomine tactus gustatum quoque comprehendisse: cum tactum dixit in quibusdam animalibus solitarium & absque alijs sensibus esse posse. Hoc enim intellectu nunc tactum puto dici alimenti sensum: non quatenus tactus est, sed quatenus gustatus est quidam tactus, & gustatile est tactile, ut in textu 94. & 101. affirmabitur. Semper enim gustatus adiunctum habet tactum: quia non gustatur alimentum nisi tãgatur, primisque illis, qualitatibus afficiatur, quae ad tactum pertinent: & praesertim humore.

Perobscura autem videntur illa verba (aliorum autem sensilium ex accidente) quae Philoponus non de tactu, sed de alio sensu intelligi voluit. Immo de appetitu. Vris dicatur per se esse calidi & frigidi, humidis & siccis: ex accidenti autem colorati, sonori & odorati quatenus ex illarum principium qualitarum temperatione constat. Auerroës tactum intellexit esse per se alimenti sensum: ex accidenti reliquos sensus, qui caetera sensilia obiecta comprehendunt. Sanctus Thomas, dum ea verba in auferendi casu legit (alijs autem sensilibus) ita interpretatus est, ut siccis & humidis, calidis & frigidis per se nutriantur viuencia, alijs autem sensilibus non nisi ex accidenti. Vel si gignendi casum, quo vsus est, Philoponus, retinere velis, nutrimentum inquit per se esse qualitarum illarum tactilium, ex accidenti aliorum sensilium, quatenus contingit tactilia corpora esse item odorata: colorata, sonora. Duas alias interpretationes adfert Simplicius. Alteram fuisse Alexandri, testatur Philoponus: tactum per se qualitarum esse illarum tactilium, ex accidenti aliorum quoque sensilium, colorum, aut sonorum, quatenus haec cum primis

illis qualitatibus coniuncta sunt. Alteram magis probat Simplicius: tactum ex accidenti sentire nutrimentum, quatenus adiuncta habet aliorum sensuum obiecta: per se enim percipit quatenus calidum, frigidum, humidum, siccum, ex accidenti autem quatenus coloratum, sonorum, aut odoratum, sic enim ad alios sensus pertinet, aspectum auditum, odoratum. Namque ad nutrimentum nihil confert color, aut sonus, aut odor: cum nutrimento omnis fiat ex alimento, quatenus ex calido constat frigidum, humido, & sicco permixtis & temperatis. Quod si sapor ad alimentum pertinere videatur: propterea pertinet, quia est vnum quoddam tactile. Spectat enim ad gustatum, qui tactus quidam est, & cum tactu semper coniunctus.

Quae haecenus dicta sunt, propositionem illam confirmant, qua Philosophus, ut ostenderet omnia, quae sensum habent, appetitum quoque habere animalia omnia acceperat alimenti sensum habere. Assumptio autem erat: omnem alimenti sensum esse cum appetitu coniunctum. Eam ita confirmat. Omnia, quae alimenti sensum habent, famescunt & sitiunt: atque, ad quae tendunt alimentum, atque adeo sumendum stimulantur, sed famem & sitis appetitiones quaedam sunt, famem calidi & siccis: sitis frigidi & humidis; quibus id restaretur, quod in nostra substantia, quae ex illis constat, fuit consumptum. Omnis igitur alimenti sensus est cum appetitu coniunctus. Ex his duabus propositionibus expositis manifestum est, animalia omnia, quae sensum habent, habere & appetitum.

Sed quoniam in alimento maxime videtur considerari sapor, famelque & sitis non tam videtur esse appetitiones calidi & siccis, frigidi & humidis: quam sapidi: idcirco quasi tactus occurrens obiectioni, addit postremo; saporem non tam esse alimentum quam velut alimenti condimentum, ut animalia delectatione allecta libenter & sine molestia ad alimentum suae naturae sustentandae necessarium accederent. Quare appetitus ex accidenti saporum est, quatenus tactilibus illis, quibus primò nutritur, accidunt velut illorum condimenta. Ex accidenti autem dixi; hoc est secundaria intentione. Alioqui sapor per se ad alimentum, spectare perspicuum est. Quoniam proprium sunt gustatus obiectum, qui circa alimentum versatur, nempe ut tactus quidam, circa tactilia, ut autem gustatus, circa saporum. Et ideo in lib. de sensu & sensibili odores quidam dicuntur per se suaues esse, qui alimentis, saporibusque, suauius non iunguntur: alios non per se, qui illis iunguntur. Et saporum quosdam gratos addit morbosos esse, quod qualitatibus temperati non sint. Quocirca ex hoc loco cum tactum dixisset per se esse tactilium, ex accidenti aliorum sensilium, quoniam ad alimentum nihil conferunt, solum nominauit colorem & odorem, saporem non item. Immo saporem adiecit esse vnum tactilium: & ideo per se ad tactum pertinere non ut tactus, sed ut gustatus est quidam tactus: & ideo sapor tactile quoddam. Et tactilium quidem sensus est quasi alimentorum; gustatilium autem seu saporum, quasi condimentorum.

Discretio xi. De fame & siti. Verum dum ita dictum est, de fame & siti loquutus est Aristoteles; duo videtur Platonis loca coniunxisse. Apud quem in Philebo Socrates ad hunc modum ratiocinatur: famere & sitire nil aliud significare videntur, quam exhaustum esse:

N N ij

Sapor vs ad alimentum pertinet

De fame & siti quid Plato

is est ho-
tatur, non
; quia hic
folis re-
& infla-
olum, qui
olice ag-
Animula
omnium
elle pos-
lupatam
is, dolo-
ribus in-
lexum, &
unt. Que
in illis
ucunda &
appetitum
a vniuersi
s, appa-
solum
esse, quod
tque ma-
is in
cupit
appetitum
peritum
spiciale
scentia
tis in
illumina-
orepiti-
titum
nt. Neq;
conueni-
s est, quod
nditur, ut
runt, quae
acp
coluere &
sensum ha-
nt, ut
folia
it ad
ia appa-
nis & ut

at quod exhaustum est & vacuum, repleti appetit. Fames igitur & sitis appetitus quidam sunt & concupiscentiæ. Ac rursum in Hipparcho quarrens, cur cibum omnē, siue bonū, siue malum, cibum tamen vocemus: & potum similiter, siue bonum, siue malum: respondet, quoniā uterq. cibis sicca est corpori esca, & potus uterque humidū corpori alimētum. Quæ duo si coniungantur, habebimus planē id, quod dixit Aristoteles; Famem esse appetitum calidi & sicci, hoc est esculenti & cibi: sitim appetitum frigidi & humidū, hoc est poculenti & rotidi. Quocirca sensationes etiam quædam sunt siquidem concupiscentiæ & appetitio quævis sensum & cognitionem sequitur. Sunt autem sensationes tristes, altera in ventre: altera in ore potius & gutture, etenim exinanitio & defectus molestiam & dolorem adfert. Hæ namque sunt partes organicæ huic operi destinatæ. In reliquo corpore etsi deficiat alimētum & inanitatē sint partes, fames tamen & sitis nō dicitur, sed naturalis appetitus repletionis, qualis est in plantis. Tristis igitur illius sensationis, quæ in ventre est & gutture, proximam causam inuestigare oportet. Cū igitur triplex in ventre humidum consideretur: chylosum vnum, quod ex alimento exprimitur, alterum rotidum, quod ex potu accipitur: tertium innatum & in ventris substantia insitum, in quo ipsius vita consistit. Fuerunt nō pauci, qui famē formaliter quidem dicerent alimenti appetitum esse, at materialiter sensationem tristem in ventre & non in alijs partibus excitatam significare. Tum quod is membrum est, quod cæteris membris famulatur. Tum quod si tristis hæc sensio in vniuerso corpore fieret, grauis nimium esset, atque animalis functiones impediret. Ortam autem ex defectu & consumptione humidū illi membro insiti. Quippe natius calor deficiente alimento conuertit se se ad ventrem, absumendūque proprium & natium illius humidum sensationem excitat tristem, quam appellamus famem.

Fames
& sitis
sensationes
tristes.

Fames
causa.
i. opinio.

Tho. de
Carbo in
summa.
q. 46.

Consu-
tatio.

At si fames formaliter esset alimentaris humidū appetitus, ut ipsi fatentur, non innati, quilibet videre potest, eam non huius, sed illius potius defectu excitari. Ex illius enim defectu nascitur, cuius præsentia cessat. Cessat autem solo alimento præsentem, quamvis ex eo nondum sit innatum humidum restauratum. Neque verò minùs, imo magis esset fames in alijs partibus, quā in ventre: cū in illis aut perinde, aut etiā magis innatus humor absumatur. Cumque maiori sentiendi vi prædita sint, acrius resolutionem hanc perferent. Verū quid quæso fuerit causa, cur acetosa & punica, quæq. excitent appetitum? Quid de fame, quam vulgò caninam vocitant? Cū tamen plurimū sit in vniuerso corpore innati humoris.

i. opinio.

Galenus igitur in primo lib. de sympt. causis cap. 7. & Tursanus 2. lib. Artis paræ com. 70. & ex Medicis alijs, hanc difficultatem ita exposuerunt, ut quinque distinguerent motus ad excitandam in animali famē concurrentes. Exinanitionē omnium partium à calore profectam humidum depascente: attractionē earum subsidium ex propinquis partibus quærentium: attractionē venarum à iecore, iecoris a venis mellaraicis, & harum à ventre. Vnde quartus oritur motus sensationis tristes in ventre, dū propter hanc attractionem in eius orificio contrahuntur rugæ, quæ sese vicissim fricant; ac demum intus sublequitur motus appetitio eliciat alimēti,

quo tristis illa sensio sedetur.

A Cæterum vrget adhuc canina fames absc. attractione aut exinanitione; cū satis multum sanguinis cōtinetur in venis. Vrgent acetosa & Punica. Cur enim hæc excitant appetitum? Cur fames non est in toto corpore, si in toto est exinanitio, & attractio; non in solo ventre? Sed & tactus ille & partium ventriculi conficatio nullam potest sensationem tristem adferre. Est enim tactus similitudo, quo simile potius delectatur. Ingesto etiam in ventrem cibo cessat illic d fames; quo tempore nondum cessat siucus & attractio, cū non dum ad chylos, aut sanguis. Pessimæque natura corporibus animalium prouidisset, si non prius stimulum famis adhibuisset, quam partes omnes essent exinanitæ, omniq. alimenti subsidio destitutæ. Sicut fuisset oportuno tempore prouidere, ut paruum semper alimentum adesset, quod omnibus partibus suppeditari posset.

B Igitur fuerunt alij, inter quos Gentilis in proprio tractatu, quem de hac re edidit, qui duplicem appetitum distinguere. Alterum naturalem proprij alimenti, hoc est sanguinis, quem ventrem core trahit, ut inde sustentetur. Alterum, qui conuenit illi, ut est quasi officina communis omnium reliquis membris necessarium pabulum subministrans. Priorem enim appetitum non facere sensationem iudicant. Quoniam attractio illa frigidissima, & est cuiuslibet membro naturalis & innata. Posterior, qui est appetitus chylosi humidū, quod & præsens oblectat ventrem, & absens sensationis tristes est causa: siue propter humoris frigidi, aut melancholici asperionem, vnde appetitus humoris calidi & sicci oritur: siue propterea quod calor non occupatus circa chylosium humidum sanis agat in ventrem.

C In quorum hominum oratione duplicem in ventre appetitum probare satis non possumus, probabilius existimans, membrum illud non sanguine attracto à iecore, sed chylo potius nutriendum refici. Quocirca vnicus hic in eo erit appetitus chyli, chylosiue humidū, quo & ipsum abundatificiatur, & cæteris post partibus subueniat.

D Fateor igitur, immo & contendo, famē formaliter esse appetitum chylosi humidū. Oritur enim ex penurie sensu, quo animalia ad cibū & potum proritata in tempore explantur. Sed aio, non est appetitum purè naturalem, aut elicicum, sed partim naturalem; tum quia etiā sine cognitione, aut cogitatione excitatur: tum quia in perfecto & naturali statu animalia tuetur. Partim elicicum, quia cū in nobis deficiente alimento sensationem in anima duertimus, appetitionis alimēti actum demum. Itaque huius appetitus causa est tristis sensio.

E Sed hæc nequaquam ex frigidi humoris asperione nascitur. Tum quia quæ maximè frigidam temperaturam habent, acutissimis famis stimulis reperiuntur: cū tamen calida & cholericæ multo magis fameant. Tum quia deuorato pipere, aut ure calida cessare fames: potius verò in citatur. Tum demum quia non videtur alius humor frigidus aspergi posse, quā aut pituita, aut melancholica. At cōstat, minimè ab iis stimulos famis sentire, qui sunt flegmatici. & nos ipsos tunc non famere, cū abundat in ventre pituita. Melancholia non potest ab asperione aliquid ad hunc appetitum excitare. At non quia sit humor frigidus, neque per se. Non

